

intelligatur, imò & expressè declaretur, illum peccatum per-  
mittere non ex coactione, vel invitum; (Deus enim est li-  
berrimè agens, contra quem nulla vis aliquid potest,) sed  
certò quòdam & deliberatò consiliò voluntatis suæ arcanæ  
ἐὐστοίας, seu beneplaciti, quâ ex malis bona elicit, quæ tu-  
rius est admiranda, quàm curiosius rimanda. Justus Lo-  
thus in sua anima doloribus angebatur acerrimis præ aspe-  
ctu scelerum enormium & horrendorum Sodomæ domi-  
nantium; Et dici potest, illum scelera illa permisisse, eo  
quòd mediis & potentiâ impediendi ea caruerit, quàmvis  
eorum impunitatem & atrocitatem non sine maximò dolo-  
re passus sit. Sed dici nullò modò potest, felicitatem Dei  
viventis, qui est ἀπαθής, perturbari posse aspectu scelerum,  
quibus terra est repleta: Etenim divinitas, apud quam non  
est transmutatio, & ne quidem conversionis obumbratio  
obtinere locum, planè omnis est expers passionis. Dolor  
propriè sic dictus repugnat summæ ejus perfectioni & bea-  
titudini, quæ ut nullâ boni accessione augeri, sic nec ullo  
mali sensu contingi ac violari potest. Unde sine ulla dif-  
ficultate dicere possumus: Deum peccatum velle cùm fit,  
id est, illum neque esse coactum pati ut fiat; neque il-  
lud teneri impedire, ne fiat; Deum peccatum permit-  
tere permissione physicâ, non exerentem vires, quæ po-  
terant actu impedire ne illud fieret, & hanc permissionem  
esse effectum meri ipsius beneplaciti. Ad hoc nostri Adver-  
sarij ex Communionem Romanam, perincommodè clamantes,  
dicunt: Ex nostra doctrina de permissione Dei circa pecca-  
tum necessariò sequi, Dei oculos in aspectu peccati delecta-  
ri; Deum iniquitate delectari; atque adeò etiam velle ini-  
quitatem; & per consequens illum ipsum esse Authorem  
peccati. Bellarminus & Pontificij id nobis impingunt, tan-  
quam re ipsa ita sentientibus, quàmvis verbò id profiteri  
non audeamus. Sed hæc futilia sunt verba, non vera, sed  
falsa, & impia: Crassa est & detestanda calumnia à menda-  
cii Fautoribus tantùm nobis impacta. Id enim neque ore  
profitemur, neque mente sentimus, & à corde nostro est alie-  
nissimum; Quàm longissimè absunt omnes ejusmodi blas-  
phemix, non tantùm à linguis, sed etiam à cogitationibus  
nostris. Nam etsi Deus velit peccatum, peccatum vult vo-  
luntate permittentis, non verò voluntate approbantis. Ideò-  
que beneplacitum Dei in hoc negotio intelligitur relatè ad  
permissionem, quia placet Deo permittere, non verò relatè

*beneplaci-  
to peccati  
initium &  
progressum  
patitur.*